

credidisse: *Jam non propter tuam loquelam credimus; quæ, ut Albertus Magnus exponit, « comparatione ejus quod vidimus, nihil est. »* III Reg. x, 7: *Ipsa veni et vidi, quod dicitur pars mihi nuntiata non fuerat.*

2. — S. Thomas Samaritanos Christum tanquam Messiam et mundi Salvatorem vere agnovisse dicit: « Ubi confitentur Christum Salvatorem, singularem, « verum et universalem; singularem, cum discretum eum ab aliis dicunt, *hic est*, qui scilicet singulariter venit, *Isa.*, xlv, 13: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator. Vere verum dicit; nam secundum Dionysium eum salus sit liberatio a malis et conservatio in bonis, est duplex salus: quædam vera, quædam non vera; vera quidem salus, cum liberamur a veris malis et conservamur in veris bonis. »* Deus quidem in Veteri Testamento Hebræorum populo multos misit Salvatores, de nullo eorum dici vere poterat, quod veram illis contulissent salutem; siquidem a solis malis et ærumnis temporalibus illum liberabant,

quæ vere mala non sunt; bona quoque conferabant quidem, sed non vera, quia transitoria erant. Unde S. Thomas concludit dicens: « Christus est vere « cæcis et præservat in veris bonis, id est, spirituum « libus. » Christum quoque confessi sunt Salvatorem universalem, quando dixerunt: *Salvator mundi*, per hoc manifeste ostendentes ipsam non solum venisse ad salvandum Judæos, sed universum genus humanum.

3. — Cajetanus ex illa confessione in hac occasione facta colligit, Christum totum hoc biduum impendisse, ut ipsis sua prædicatione hanc veritatem inculcarent, quod scilicet ipse Messias esset et Salvator mundi: « Manifestans quod Jesus evangelizaverat ei se esse Messiam, Salvatorem mundi, quod nunquam publice evangelizavit Judæis. »

4. — Chrysostomus ait: « Hic vere Salvator est, qui veram salutem elargitur, non brevi, sed perpetuo duraturam. »

#### DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. VI, VERS. 1

1. Abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis.
2. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his, qui infirmabantur.
3. Subiit ergo in montem Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis.
4. Erat autem proximum Pascha dies festus Judæorum.
5. Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: « Unde ememus panes, ut manducent hi? »
6. Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturum.
7. Respondit ei Philippus: « Ducentorum denariorum panes non sufficient eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. »
8. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas, frater Simonis Petri.
9. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces; sed hæc quid sunt inter tantos? »
10. Dixit ergo Jesus: « Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco; discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. »
11. Accepit ergo Jesus panes, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter et ex piscibus quantum volebant.
12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: « Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. »
13. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerant his qui manducaverunt.
14. Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant, quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.

15. Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent, ut raperent eum et facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.

VERSUS 1.

Abiit Jesus, trans mare Galilææ quod est Tiberiadis.

ADDITIONES.

a. — Abiit Jesus trans mare Galilææ quod est Tiberiadis, etc. Quod sensum litteralem hujus textus spectat, prima causa hujus secessus assignatur mors et interfectio Joannis nunciata. Fundatur autem hæc ratio in loco illo *Matth.*, xiv, 12: *Accedentes discipuli ejus tulerunt corpus ejus et sepelierunt, et venientes nuntiaverunt Jesu; quod cum audisset secessit in desertum locum.* Noster tamen Cyrillus Alexandrinus, *lib. III in Joan.*, cap. xi, ponderat quod relictis Judæis abiit Dominus in desertum quod figurabat Ecclesiam gentium, quæ erat deserta. Sed magnum væ, hic transitus, hæcque derelictio Synagogæ præfigurabat. Unde ait idem S. Cyrillus, loco citato: « Propterea recedens ab « Jerosolymis, non ad finitima castella divertit, sed « trans mare Tiberiadis abiit, ut reipsa Judæis intimaretur, tam longe pro impietate eorum ab eis « migraturum, ut inaccessibilis ad eum via futura « sit; non enim possibile est pedibus hominum « maria pertransiri. » Quantum pavor occuparet Synagogam, si perciperet quod ob illius iniquitatem Messias ejus Christus Jesus tantum recessit tanquam magnum chaos inter utrumque firmatum est, ut nullus ultra citroque commeandi, locus inveniatur, ut jam nullo proprio labore superari queat? Ideo ad hoc significandum, non transit Jesus a Judæa ad aliquem locum et vicum sed abiit trans mare, quod humanis pedibus ac gressibus superari non potest; sed abiit longinque ab illis Jesus et merito abiit, quia clamaverunt: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Cujus poenas adhuc hodie dum experiri debent. « Universus populus « Judæicus, » inquit Lucas Brugensis, « qui illic « præsens aderat, maximo numero, ex omnibus « Judææ, imo, mundi partibus, qui quidem eo « convenerat, quod audisset Jesu causam apud « Præsidentem a Principibus agi, clamavit: *Sanguis « ejus super nos;* » id est, culpa hujus injustæ condemnationis nobis obveniat. Porro, « sanguis hic « ponitur pro culpa et vindicta cædis. Culpa vindictæ quæ incurri queat effundendo sanguinem hujus, interficiendo hunc, impuletur nobis. « Nos eam culpam in nos suscipimus, nostro periculo in eam: » Origenes ait: « Pilatus quidem « se lavit, ipsi autem, non solum se mundare « noluerunt a sanguine Christi, sed etiam super se « susceperunt, dicentes: *Sanguis ejus super nos et « super filios nostros.* Propter hoc rei facti sunt,

« non solum in sanguine Prophetarum, sed im- « plentes mensuram patrum suorum facti sunt rei « in sanguine Christi; ut audiant Deum sibi dicentem: *Cum expunderitis manus vestras ad me, « avertam oculos meos a vobis; manus enim vestræ « sanguine plenæ sunt.* Propterea sanguis Christi « non solum super eos qui tunc fuerunt, verum « etiam super omnes generationes post sequentes, « usque ad consummationem: propterea usque « nunc domus eorum derelicta est eis deserta. » S. Hieronymus, in *Matth.*, inquit: « Perseverat « usque in presentem diem hæc imprecatio super « Judæos et sanguis Domini non auferitur ab eis. » Unde per Isaiam loquitur: *Si leaveritis ad me manus non exaudium vos; manus enim vestræ plenæ sunt sanguine.* Optimam hæreditatem Judæi reliquerunt dicentes: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros.*

b. — Audita morte Joannis, secessit Jesus inde in navicula, trans mare, ut patet ex Mattheo, et juxta SS. Patrum sententiam, discessit Dominus ab illo loco, veluti dolore ac quadam maestitudine luctus, ex Joannis intimi amici sui morte. Sed quid ad hæc recessit trans mare in navicula? Cur non potius transit ad aliquem amœnum et perjeundum locum, et solum fieri ab eis, quibus aliquid molestum ac invisum accidit? Ad quid transnavigat mare in cymba quadam? Rupertus, *lib. VI in Joan.*: « Abiit « Jesus trans mare Galilææ; id est, » ait, « transmissus « gravit amara via et difficili navigatione, scilicet « portatus ligno crucis, qua passus est sub Pontio « Pilato. » Navi evecus transit mare. Hæc sacra ejus passio, quam sub præside Tiberii Cæsaris sustinuit, representabatur. Navis cruceum præfigurabat, mare sacram ejus passionem adumbrabat. Quomodo ergo Christus tristitia affectus, ad typos suæ passionis convolat? Maxime ex hoc sane: cum enim ipse maestitudine quadam ex morte amici teneretur, ad umbras suæ sacratissimæ passionis venit, ut ipsis potissime recrearetur, ac voluptatem perciperet. Nihil ei erat dulcius ac jucundius, quam suæ mortis representatio; ad propulsandum ergo tristitiam conceptam, hæc sacra memoria et figura quærit Christus.

c. — S. Paschasius dicit: « Audita Joannis neco, « secessit Christus, non ut quidam arbitrati sunt, « timore mortis, sed ut parceret inimicis suis, ne « homicidium homicidio jungerent. » Ad nostrum exemplum volens ostendere quanta sit virtus inimicis ignoscere. Auctor Imperfecti, *Hom.*, xv, nullum alium modum superesse dicit, quo nos filiatione divina dignos reddamus, quam si nos Deo similes efficere satagamus. « In quo enim, » inquit, « alio « cognoscemur, quia filii sumus Dei, nisi fuerimus

« nos similes Deo? Filii enim carnales frequenter « simulantur carnalibus patribus in facie, in loquela, « aut in aliquo corporis signo; filii autem spiri- « tuales in sanctitate. » Sanctitas autem et perfectio Dei, ut unigenitus Dei Filius ipsemet insinuat, in eo præcipue consistit quod indifferenter bonis et malis benefaciat: *Solem suam oriri facit super bonos et malos.* Ac proinde si nos ei in hoc assimilaverimus, ut videlicet amore prosequamur tam inimicos quam amicos, tunc vere in ejus perfectione communicabimus. Et consequenter divina hac filiatione nos dignos efficiemus. Hunc autem honorem nobis acquirere debemus vim et violentiam inferendo naturæ nostræ irascibili et vindictivæ, eam reprimendo et excitando ad dilectionem et beneficentiam erga eos, qui oderunt nos. Christus quia Filius non hominis, sed Dei erat, ideo dilexit inimicos; nos vero si adoptionem filiorum æterni Patris sui, ejusque similitudinem comparare nobis volumus ipsam quoque facere debemus, juxta illud: *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est.*

d. — S. Cyrillus, *lib. III in Joann.*, ait quod Christus abiit trans mare, « non quia aliquod pati « poterat nolens, sed ut exemplum nobis seipsum « poneret, declinandos esse inimicos, ut hoc modo, « ira et impetus eorum defervereat; et sic multo « magis illis quam nobis conferamus. » Magna quippe crudelitate occisus erat Baptistæ ab Herode, maximeque hic sanguinem Sanctorum stiebat. Discedit Jesus a locum suo, patria sua, sævitie tyranni cedens; magni enim meriti est vindicta qua vincitur, confunditur inimicus, quando ei ita bonum pro malo reddere studemus, ut ulterioris malitiae exercendæ occasionem tollamus. Apostolus Paulus in Epistola ad Romanos, *cap. xii*, alia inter saluberrima documenta, singulariter eos ad pacem et concordiam reciprocam necnon ad detestandum ejusdemque injuriæ et vindictæ appetitum exhortatur dicens: *Nulli malum pro malo reddentes, providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes; non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim: Mihi vindicta et ego retribuam. Sed si usuriverit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.* « Id est, » inquit S. Anselmus, « ferventes et urentes penitentiae doloris. Beneficis enim tuis victus, dolebit se injurias « tibi fecisse, a quo bona recipit et convertetur ad « penitentiam, sicutque lucraberis eum Christo. »

e. — Dominus relictis Judæis, abiit trans mare in desertum; quod palestræ applicatur animæ cujus quidem cum Deus via sit, eidemque semper præsens, illum tamen per peccatum a se fugere facit. Anima animæ nostræ Deus est, que proinde mori-

tur, dum Deum amittit, id quod per peccatum contingit. S. Augustinus, *Serm. xiii de Mort.*, in quoniam vita corporis et in quoniam vita animæ consistat his verbis declarat: « Vita corporis, » inquit, « anima est; vita animæ Deus est. Sicut « adest vita corpori, id est, anima, ne moriatur « corpus, sic debet adesse vita animæ, hoc est Deus, « ne moriatur anima. » Quæstio inter sacros Expositores, qua ratione verelicetur illa Adæ a Deo facta comminatio: *Morte morieris*; siquidem Adam post suam transgressionem primam tot annis, imo et sæculis vixit, priusquam moreretur. Cui dubio Ven. Beda respondet dicens: « Die qua peccavit « Adam, anima mortuus est; sicut enim corpus « vivit ex anima, ita anima, ut beate vivat, vivit ex « Deo. » Unde S. Augustinus ad Deum dicere solebat: « Dominus Deus, vita animæ meæ. » Et S. Isidorus pariter dicit: « Vita corporis anima, vita « animæ Deus est; et sicut corpus mortuum est sine « anima, mortua est ea sine Deo. » Magna profecto cuivis Christiano est consolatio quod certo sciat, animam nostram, dummodo velimus, semper vivere posse, quia Deus qui illam vivificat non potest deficere; neque ipse a nobis recedit, nisi nos primo ab ipso recedamus. Quam conclusionem concilium Tridentinum, *sess. vi, 11*, his verbis stabilivit: « Nunquam Deus deserit hominem, nisi prius ab « homine deseratur. » Deus nos minime deserit, nisi nos illum per peccatum a nobis pellamus. Et ideo S. Augustinus ait: « Nihil ei nocere potest, « nisi a Deo recedat: recedit quando peccat. » De sancto quodam eremita legitur, quod interrogatus cur semper læta facie incederet, responderit: « Christum tollere a me nemo potest. »

## VERSUS 2.

*Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa que faciebat super his, qui infirmabantur.*

1. — Theophylactus existimat Christum in itineribus, quæ ex uno loco in alterum instituebat devotionem et fervorem illorum, qui eum sequebantur, experiri voluisse. « Transit de loco in locum, pro- « bans multitudinis studium, ignaviores enim « manebant in locis suis, studiosiores autem sequen- « bantur eum. » Dionysius Carthusianus advertit, quod S. Marcus, *vi, 33*, hanc eandem historiam narrans dicat: *Et pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc; et præceperunt eos*, id est, discipulos. « Ex quo patet fervens eorum ad Christum « affectio et prompta devotio. » Albertus Magnus ait: « Sua commoda relinquentes et horrorem ac « sterilitatem deserti non timentes, neque recogitan- « tes. » Idem quoque ex verbo *pedestres* deducit, illos pedestri itinere eum insecutos fuisse, « ut « labore fatigationis ostenderent magnitudinem

« devotionis. » Lucas Brugensis fervorem hunc non solum ex pedestri itinere, verum etiam ex solitudine, que locus sterilis est, considerat: « Ferror « populi declarat pedes in desertum festinantis, « omni necessariarum rerum cura deposita; amor « ubi necesse est. »

2. — Dionysius Carthusianus ex eo quod ii, qui relictis civitatibus et domibus suis Christum sunt insecuti, pedestres inceserint, hanc deducit consequentiam, « Ex quo elicitur, quod egeni fuerunt « pro majori parte, » etenim verissimum est, quod pauperes tribulationibus et adversitatibus pressi et qui in hoc mundo modicam partem obtinent, magis ad devotionem inclinati existant, cumque majori legis Dei observantia vivant, quod, ut plurimum, in divitiis et prospere agentibus minime videtur.

3. — Hieronymus hanc inde deducit moralitatem: « Secute sunt eum turbe relinquentes civita- « tes suas; hoc est, pristinas conversationes; » nam ut ex hoc intelligamus, quod qui Deum sequi et mundum deserere desiderat, solitudinem deditus esse, conversationesque et loca, in quibus antea prævaricatus fuerat, deserere et surgere necessario debet.

4. — Albertus Magnus causam, cur tam numerosa multitudo Christum consecrata fuerit, aviditati attribuit quam ad audiendum Dei verbum, ipsumque Salvatorem videndum habebant: « Tantra erat « aviditas audiendi eum et videndi desiderium, « quod obliiti priorum ad eum undique concurrebant. »

*Quia videbant signa que faciebat super his qui infirmabantur.*

5. — In hac occasione clare videtur, quam verum, quod videtur, *Ps. xv, 4: Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* « Turba sequebatur, » inquit Basilus Seleucus, « morborum depulsorem; » infirmitates enim quæ nos hic premunt, ad Deum recurrere compellunt. Et quidem tametsi verisimile sit, quod major pars hujusce multitudinis optima sanitate gavisa fuerit, hujus tamen celestis protomedici gratiam pro avertendis futuris infirmitatibus, quas incidere alias forsitan possent, sibi comparare operæ prelium esse existimabant. Chrysostomus, *Hom. i in Matth.*, utilitatem et lucrum, quod sibi ex hac Christi consecratione comparant, hisce verbis ponderat: « Quamvis magno sudore « illi sequebantur, tamen quæ Christus ipsis re- « ceperat, omnem studii illorum diligentiam su- « perabant. » Imo verisimile est plures illorum magnis fuisse a Christo beneficiis affectos, qui proinde ipsum sequebantur, non solum ex motivo gratitudinis, verum etiam ut receptam ab ipso corporalem salutem in ejus obsequium et servitium impenderent.

6. — Albertus Magnus Christum miracula ad finem rectum, justum et sanctum ordinasse notat, non vero ad ostentationem et applausum mundanum: « Non enim inultiliter et ex vanitate fecit « signa, sed necessitatibus et utilitatibus hominum « subvenientia. *Ps. cx, 3: Qui propitiatur omnibus « iniquitatibus tuis, qui sonat omnes infirmitates « tuas.* »

7. — Hugo Cardinalis paucos Christum ex sinceritate cordis et vera devotione secutos fuisse existimat, sed diversis ad id finibus fuisse permo- tos: « Isti curiosi, non veri sequaces; alii sequen- « bantur, ut comederent de panibus ejus, hi gulosi; « alii ut sanitatem recuperarent, hi infirmi; alii ut « cum in sermone caperent, hi Pharisæi; alii ut « doctrinam ejus acciperent, hi discipuli. » Toletus Evangelistam finem satis expresse putat, ob quem populus ille Christum sequebatur, nimirum ob utilitatem et interesse privatum, quod illis ex ejus miraculis resullabat: « Utilitate corporis magis « quam animæ ista multitudo concurrebat; » etenim Deus per hanc quoque viam multos ad sui amorem et agitionem et ad perpetuam sui sepelam tra- here consuevit, sepe enim hominibus salutem corporalem imperit, ut illos ad spirituales salutem postulandam et procurandam inducat. Unde Salme- ron ait: « Ut inde alecti sanarentur eorum animi. »

## Additiones.

a. — *Sequebatur eum multitudo magna*, etc. Sed unde? Non absque mysterio loca exprimitur sacri Evangelistæ Matthæus et Marcus; dicunt enim: « *civitatibus.* Civitates enim plene sunt occasionibus malis; qui autem viam salutis aggreditur, non solum delicta, sed etiam eorum occasiones ac excita- menta debent fugere ac derelinquere. Hæc in hunc locum interpretatio est S. Hieronymi in *Matth.*, *xiv*: « *Secuta sunt eum turba, et relin- « quentes civitates suas, hoc est, pristinas conver- « sationes.* » Licet autem hæc fuga necessaria sit in omni peccato, maxime tamen in vitio carnis. Sanctus Propheta David sancte gloriabatur, *Psal. c, 2*, dicens: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus mee;* et tamen ipsum in adulterium cum Bethsabee turpissime lapsum esse novimus. Cuiusne hujus lapsus sui causam? Præberat arma iniquitatis peccato. Sed quemquam hæc arma fuerunt? Nimirum oculos non bene custoditos: *Viditque mulierem lavantem se.* Otiosus situs et prospectus per concavum sui fenestram, oculi sui retrahendi et mortificandi neglectus. Unde deinceps cautior factus hæc a Deo gratiam poposeit: *Viam iniquitatis amove a me.* Quibus verbis non solum a peccato liberari sed etiam a via, quæ eum ad peccandum inducere poterat, dimoveri postulabat. Sacre textus regulas quas Deus Nazareis, reformatissimos ho- rum temporum religiosos præfigurantibus, præ-

scripsit, recensens, illis inter alia præceptum fuisse dicit: *Actum ea vino, et quidquid de uno exprimitur, non bibent; uvas recentes siccasque non comedent; quidquid ex vinea esse potest, ab una passa usque ad acinum. Prohibitum illis erat bibere vinum, vinum in quo est luxuria; ad hoc vero, ut ab illo tanto arcetius abstinerent, totum hoc illis pariter prohibitum esse voluit, quod illis vinum in memoriam revocare poterat; ideoque illis prohibitum fuit acetum, mustum, uvas recentes, imo et uva passa et acini; idque « quia, » ut Dionysius Carthusianus inquit, « in talibus est aliquid de vini vigore, » et ad vini potum alliciuntur. » Quia enim Deus illos in hac vini abstinentia exactos esse voluit, ideo omnem illis, etiam minimam et remotissimam, vini appetendi occasionem adimere voluit, ne vini aliqua memoria, aut appetentia ipsorum animis occurreret. « Lubrica est illa spes, » inquit S. Cyprianus, « que inter fomenta peccati, salvari se sperat. »*

**b.** — Deus a nobis in divino servitio sollicitudinem et fervorem requirit, et ideo in itineribus quæ ex uno in alterum locum instituebat, devotionem et fervorem illorum qui eum sequebantur, experire Christus volebat. S. Paulus, in Ecclesia primitiva, quæ in futuris sæculis futura erat fidelium aliorum speculum et norma, dissolvere volens rigidam pigritiam et negligentiam in divino servitio glaciem, maxime in hac urbe romana, ubi Princeps Apostolorum sedem suam fixerat, in hæc verba Romanis scribit: *Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes.* Hæc autem sollicitudo non eo fine ab ipso requirebatur, ut per eandem divitiarum, honores, provinciarum, ac regna acquirerentur, sed ut bona compararentur spiritualia, in cultu religionis christianæ, quam recenter amplexati fuerant. Dicit autem spiritu ferventes, quia volebat illos in cultu Dei ardentibus, non flaccidis, languidos et otiosos. Ex D. Thoma: « In his que diligimus, majorem sollicitudinem habemus. » Quod cum sit verissimum, prout in praxi videmus, sequitur omnino, quod si pigri et leni in Dei servitio fuerimus, eum nos non amore convincamus. Ac proinde David ardentissimum se Dei amatorem ostendendo, Dicit sibi cor lucratus fuit, juxta illud: *Inveni hominem secundum cor meum, quia in operibus honorem et cultum illius spectantibus, ferventissimus erat; ideoque dicebat: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.*

**c.** — Cum turbæ sequerentur Jesum, erat ipse exiens de solitudine deserti, ut hic explicat Cajetanus. Pulchre vero D. Hieronymus, in *Matth.*, ait: « Egressus autem Jesus significat quod turbæ quæ eum habuerint eundi voluntatem, sed vires perueniendi non habuerint; ideo Salvator egreditur « de loco suo, et pergit obviam. » Habe voluntatem eundi ad Jesum, et non verearis difficultates occurrentes, maxime vero insultus demonis mundique derisiones, tanto in virtute ardentior, quanto magis

impeteris, de divino certus auxilio. « Novit fides omnibus repugnare, et omnia triumphare, utile enim est pro cultu divino pudorem deponere, » ait S. Thomas. S. Augustinus, *Serm. xvii de Verbi Dom.*, sic loquitur: « Bonos Christianos et vere studiosos, volentes facere præcepta Dei que in Evangelio scripta sunt, Christiani mali et tepidi prohibent. Turba ipsa que cum Deo est, prohibet clamantes, id est, bene operantes prohibet, ne perseverando sanentur. Clament ergo illi, ne deficiant, neque ducantur quasi auctoritate turbaram. Non dicant, quomodo isti multi vivunt tam multi, sic vivamus: quare non potius quomodo dicit Evangelium? Quare vis vivere secundum increpationem turbæ prohibentis, et non secundum vestigia Domini transeuntis? Insultabant vituperabant, revocabant? Tu clama, quoadusque pervenias ad aures Jesu. »

**d.** — *Quin videbunt signa que faciebat Jesus super his qui infirmabantur.* Sicut ovis ramo, sic homines attrahuntur beneficio. Sequebantur Christum propter beneficia corporalia, nihil curantes de beneficiis animæ. S. Bernardus inter alias deplorandas miseras, quas circa hanc nostram mortalitatem delere solebat, vel maxime supinam illam negligentiam deplorat, qua animam potius quam foetidum et fragile corpus nostrum negligimus, minusque custodimus. Dicit enim: « Miser homo, « ut miserum pascas corpus et vestias, et carnis voluptatibus, quæ post paucos dies a vermicibus devorabitur, satisfacias, sollicitus laboras, discaris, vigilas, et somnum non capis oculis, ut repleas ventrem, et pro anima tua, que Deo præsentanda est in oculis cur non sollicitus fatigaris? » *Serm. de miser. hum.* Quidam de eo dicitur es, qui omne studium magnorumque sumptuum impendium in habitatione sua superbis tapetum pretiosorum peristromatibus exornanda, marmoribus elegantissimis incrustanda, auro argenteoque illustranda, statuis, picturisque artificiosissimis decoranda impenderet, sequi ipsum postea in sterquilinio omnibus aeris temporisque injuriis nudum veluti futurum ferarum prædam exponeret? Talis est illorum stultitia qui toto vite sue decursu, pro corpore quod pro brevissimo tempore animæ est domicilium, et habitaculum, laborant, vestibus pretiosis illud adornando, cibis exquisitis pascendo, atque ut ejus appetitibus plene satisfaciatur, eidem de omni generis deliciis, voluptatibus, honoribus, et aliis contentis ejusmodi commoditatibus prospiciunt, animam interea adeo turpiter despiciunt et post habentes, ac simul cum corpore moritura et interitura esset. D. Chrysostomus de modica quadam corporis parte, *Hom. xlv in Matth.*, ita loquitur: « Pupillam oculorum tuorum, ne nimo lædatur pulvere, diligenter custodis; animam autem tuam tanta malorum congerie pres-

« sam negligis. » In *Actibus Apostolorum*, v, 14, 15, ingens populi multitudo ad Petrum adeo prodigiosa miracula operantem, ut vel sola corporis umbra ad ea edenda sufficeret, confluxisse eumque constanter insecutum fuisse scribitur. Quisnam obsecro hujus in tanto numero concurrentis populi finis erat? Num forte ut ejus audirent predicationem? aut ut veluti clarivum potestatem ubique circumferentes eorum illis reseraret? vel ut peccatorum ab eo remissionem obtinerent, siquidem omnis plenissime absolvendi potestas in eo perspicue relegebat? Nequaquam. Cur ergo? Causam textus sacer subindicat; postquam enim dixisset: *Multitudo copiosa plebis ab omni Judæa et Jerusalem, et a maritima, et Tyri, et Sydenis, confestim quo fine convenit, exponit dicens: Ut sanarentur a languoribus suis.* Item: *Omnis turba quærelat eum tangere.* Quamobrem? *Quia virtus de illo exibat et sanabat omnes.* Quis in tanta hominum multitudine pro animæ suæ salute, ad Christum confugit? Unica duntaxat Maria Magdalena, unicus in monte Calvario cum Christo in cruce actus latro, et alii perpauci.

## VERSUS 3.

*Subiit ergo in montem Jesus et ibi sedebat cum discipulis suis.*

**1.** — Theophylactus, in *Joan.*, rationem reddit, cur Christus in montem ascenderit, nimirum propter miraculum futurum: « Non enim erat vanæ gloriæ cupidus, ut in mediis civitatibus miracula operaretur. »

**2.** — Idem quoque aliam quandam rationem moralem adducit: « Quia et opus est, ut ab omni tumultu liberetur et locum quærat ab omni strepitu purum, si quis talia loqui velit. »

## Additio.

**a.** — *Subiit ergo in montem Jesus.* Firmus perstitit Dominus, donec ad perfectum beneficia contulisset, curatis siquidem infirmis montem conscendit Christus, post beneficia sanitatis collata simul nos docens, infirmitates corporum plurimum deservire ad salutem animarum et ut mons celestis attingatur. Unde super illa verba: *Ego occidam et ego vivere faciam, percutiam et ego sanabo.* S. Bernardus, *Epis. xii*, inquit: « Perussit carnem ut anima sanaretur. » Enimvero hi qui animæ suæ salutem parvi faciunt, et nihil æstimant, si sunt præcipue, qui in corpus suum oculos suos et curam mentis defixam habent, animamque suam simul cum corpore destitutam aut morituram esse existimant. Recordabimini forsitan illius visionis, quam S. Joannes in Apocalypsi, circa innumerabilem ejuſdemque tribus Israel, Agnum in throno suo consistentem, laudantis et benedicens, multitudinem habuit; de qua dicitur: *Clamabant voce magna, dicentes: Solus*

*Deo nostro qui sedet super thronum et Agno.* Ubi S. Augustinus, cur ita elata voce intonarint hanc reddidit rationem, inquit: « Magna voce salutem Deo decantant, qui magna gratiarum actione reculant, non sua se virtute, sed ipso auxiliante tribulationem nem impugnantium superasse certamina. » Hi autem populi, unde venient, dum interrogaretur, responsum fuit: *Hi sunt qui venerunt ex tribulatione magna, et laverunt stolas suas et duntaxat eas in sanguine Agni.*

## Versus 4.

*Erat autem proximum Pascha dies festus Judæorum.*

**1.** — Lyranus, in *Joan.*, dicit, illos, quibus inimicitia quadam capitalis cum aliis intercedebat, Jerusalem in Paschale contendere minime obligatos fuisse; ac proinde hæc causa erat, cur Christus ceteroquin omnium legum observantissimus, illo tempore Jerusalem non adierit, quia ibi Scribæ et Pharisei omnem lapidem movebant, ut ei mortem machinarentur; aut vero tametsi alias in quibusvis aliis occasionibus transgressor, statisset summo cum zelo observare solitus fuerit, illa tamen vice ex proposito et data opera se eximere voluit, « ostendens, » inquit Dionysius Carthusianus, « se verum Deum ac legislatorem supra legem. » Salmeron observat, Christum ab Jerusalemis se tunc absentantem, ne daret scandalum, aut ne diviniæ legis reputaretur transgressor, statisset hoc præsens patrare miraculum: « Ne vero videretur peccare non eundo, hoc admirandum et divinum edidit miraculum. » Item existimat Christum ideo in illo Paschale non concessisse Jerusalem, quia ostendere volebat solemnitates illas deinceps minime obligatas esse: « Voluit etiam paulatim ablactare Judæos a festis Judaicis, que primum erant abroganda. »

**2.** — Lucas Brugensis dicit, Evangelistam non sine mysterio Paschatis fecisse mentionem: « Quem admodum sub hoc tertium Pascha multa hominum millia pauxillo panis pavit, ita sub proximum quartum Pascha illum daturus esset panem incorruptibilem et æternum, quem unus alurus esset Ecclesiam suam. » Qui idem conceptus diu ante ab Alberto Magno in medium allatus fuit hisce verbis: « Tangit temporis congruentiam, quia « Paschale futura erat Cæna, Sacramentum Eucharistiæ significans, et ideo conveniens erat miraculum facere, ex quo doctrina Eucharistiæ habet exordium. »

**3.** — Paulus de Palatio, in *Matth.*, ad tempus pariter et patrum miraculum sese reflectens, sequens inde deducit documentum: « Qui sequuntur Dominum largiorem, ejus manum noverunt in festis; cum igitur imminet festa, præparemus corda nostra, ut de manu Domini largiores su-

« manus cibos; sed nos corpori, non anime cibos  
« querimus. »

4. — S. Thomas, in *Joan.*, ad antecedentia verba  
se reflectens, scilicet: *Subiit in montem.* « aliam  
« quamdam affert considerationem: Per montem  
« significatur perfectio iustitiæ, secundum illud.  
« Ps. xxxv, 7: *Iustitia tua sicut montes Dei.* Pascha  
« interpretatur, transitus, ut det intelligere, quod  
« quisquis pane divini verbi, et corpore et sanguine  
« Domini desiderat relinqui, debet transire de vitibus  
« ad virtutes. »

#### Additiones.

a. — *Erat autem proxima Pascha dies festus  
Judæorum.* Optime notatur tempus quo hoc miracu-  
lum panum patratum est: nam ante diem festum  
Paschæ, scilicet anni sequentis instituenda erat  
in Cena sacra Eucharistia; ideo nunc ante diem festum  
Paschæ jam operatur miraculum, in quo Eucharistia  
processit, ut in tempore Cene scirent  
Apostoli quid in mysterio agebatur. Et ideo ut  
notant sacri Evangelistæ, *Luc.*, ix, 12: *Dies autem  
jam ceperat declinare;* et *Matth.*, xiv, 15: *Vespere  
autem facto.* Rationem autem hujus rei pulchram  
assignat S. Chrysostomus hic dicens: « Turbarum  
« fidem ostendit, quod Dominum etiam famem  
« patientes expectabant usque ad vesperam. »  
Maxime enim exercitari debent in fide, qui ad fructus  
sacræ Eucharistiæ accedere volunt.

b. — Hoc festum Paschæ Christus prout moris  
erat, non in Jerusalem, sed in desertum, cum tanta  
multitudine pergit; quod licet gravissimis de causis  
fecerit, tamen pro more suo pulchra nobis  
prebuit documenta, quomodo solennes dies nobis  
sunt peragendi. Divinus Magister tunc predicavit,  
tunc docuit turbas, in monte oravit, famescentibus  
alimoniam prebuit, etc. Ut inde nos hauriamus  
exempla quod diebus festis dimissis terrenis, tan-  
tum divinis rebus incumbamus.

c. — Israelitis olim præceperat Deus ut diem  
Paschæ solenni ritu celebrarent; sed cur hoc tan-  
tum Israelitis? Cur non etiam omnibus nationibus?  
Inter universas nationes Israel erat populus cir-  
cumcisus ac Deo consecratus; et solus ille qui est  
circumcisus, alienus ab omni vitio, aptus invenitur  
ad Domini festa peragenda, ideoque apud Isaiam,  
i, 14, populi sui detestans ingratitudinem, ipsum  
Sodomæ et Gomorrhæ comparavit dicens: *Audite  
verbum Domini, principes Sodomorum, populus Go-  
morrhæ: quo mihi multitudinem victimarum vestra-  
rum, dicit Dominus? Plenus sum. Ne offeratis ultra  
sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi;  
nomenium et Sabbatum et festivitatis alios non fe-  
ram; iuipui sunt cœtus vestri, calendæ vestras et  
solemnitates vestras odit mâna mea, facta sunt  
mihi molesta, laboravi sustinens; et cum extenderitis  
manus vestras, avertam oculos meos a vobis; et cum*

*multiplexeritis orationem, non exaudiam.* Deus in  
illis solemnitatibus nihil suum cernebat: illa qui-  
dem solum quoad externam apparentiam ad se  
ordinata esse videbat, ceterum vero eadem ob  
fines et lucra temporalia celebrari non ignorabat.  
Idem quoque Deus apud Prophetam Amos, v, 21,  
infideli huic populo protestatus est, dicens: *Odii et  
projeçi festivitates vestras, et non capiam odorem  
cœlium vestrorum. Quod si obtuleritis mihi holocau-  
tentata, et munera vestra, non suscipiam.* Cujus  
repulse et abominationis rationem, S. Antonius  
in hoc solum refundit, quia festa illa, non sua sed  
ipsorum erant: « *Projeçi festivitates vestras, quia*  
« scilicet eas vobis facitis, non mihi. » In festis  
enim diebus, in summam Dei offensam dissolutio,  
et plurimum regnat, non in ipsiusmodi obsequium  
et honorem efflorescens pietas et devotio. Albertus  
pariter ita exponit: « *Festivitatis vestras, in quibus*  
« scilicet non ad me laudandum, sed ad concen-  
« piscantias explendas convenitis. » Salvatore  
nostro, ut est apud Lucam, in domum Jairi, ad filiam  
ejus resuscitandam, abeunte, populus per viam copiose  
confluens, ipsum comprimebat; quando hæ-  
morrhœissa ad sinistriam vestimenti ejus confingen-  
dam, magna cum fide accedens, ab infirmitate sua  
erepta fuit, *Contingit, dum iret, inquit Evangelista,  
« turbis comprimebatur;* unde conversus ad multitu-  
dinem illam interrogavit: *Quis me tetigit? Neganti-  
bus autem omnibus, dicit Petrus, et qui cum illo  
erant: Præceptor, turbæ te comprimunt et offigunt,  
et dicit: Quis me tetigit?* Pari quoque modo persepe  
in aliqua processione, festo solenni, Ecclesie vel  
platea, incredibilem videbitis populi concursum,  
paucos vero qui fide et devotione sunt præditi. Una  
tantum muliercula in hac occasione suam erga  
Christum fidem et devotionem exercuit; imo in hu-  
jusmodi turbis sepe contingit, quod timor Dei  
amittatur, et ad quævis illicita faciendâ hœcencia,  
dissolutio et libertas liberrimum habeat aditum,  
ita ut vere Deo dici possit: *Turbæ te comprimunt  
et offigunt.* Pauci admodum sinistriam Salvatoris  
tangunt. Verificatur quod D. Chrysostomus his verbis  
deplorat: « Quod nobis fiendum est; nutius de vul-  
« nere medicinam tollit; nobis medicina ipsa re-  
« torquetur in vulnus. » De qua eadem temporum  
suorum miseria lamentans S. Augustinus inquit:  
« Qui solemnitatibus Jerusalem implent Ecclesias,  
« solemnitatibus Babylonie implent theatra; et ta-  
« men serviunt, honorant, obsequuntur, non solum  
« ipsi, qui portant sacramenta Christi, et oderant  
« præcepta Christi, verum etiam illi qui sine sacra-  
« menta ipsa portant, pagani licet sint, Judei licet  
« sint, honorant, predicant. »

#### VERSUS 5.

*Cum sublevasset ergo oculos Jesus et vidisset, quia  
multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Phi-  
lippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?*

*Cum sublevasset ergo oculos Jesus.*

1. — « Ubi Christus elevat oculos, » inquit  
Salmeron, « semper aliquod magnum mysterium  
« innuitur. » Sic quando Christus apud S. Lucam,  
vi, 2, de beatitudinibus tractaturus erat: *Elevatis  
oculis in discipulos suos dicebat: Beati pauperes, etc.*  
Et quando Zachæum convertere voluit, *Luc.*, xix,  
3, elevatis in eum oculis suscepit: *Suscipiens Jesus  
vidit illum.* « Item cum in oratione elevavit oculos  
« ad Patrem; quem ad modum elevatis oculis Eu-  
« charistiam conficit. »

2. — S. Hieronymus, in *cap. xiv Matth.*, ait:  
« *Aspicit in cœlum, ut illic oculos dirigendos do-*  
« *ceat.* » S. Bonaventura, in *Joan.*, per oculos  
Christi dona cœlestia interpretatur: « *Oculi Dei sua*  
« *sunt dona, Zach.*, iii, 9: *Super lapidem unum*  
« *septem oculi;* quod exponit Gregorius de septem  
« donis in Christo. Hos oculos sublevat Dominus,  
« quando miseretur et distribuit dona sua; *oculi*  
« *ejus in pauperem respiciunt,* id est, dona in pau-  
« perem dirigitur. »

3. — Beda Christum per hanc oculorum eleva-  
tionem se erga constantem ipsorum sui sequelam  
beneficium exhibere voluisse existimat. « Ipse au-  
« tem ut potens piusque Salvator excipiendo fati-  
« gatos, docendo incisos, sanando ægrotos, refi-  
« ciendo jejunos, quantum devotione credentium  
« delectetur, insinuat. »

4. — Salmeron hanc Christi actionem a S. Joanne  
non otiose aut superflue narratam fuisse ostendit,  
dicens: « Oportuit dici Jesum sublevasse oculos et  
« vidisse turbam, ut per hoc indicetur, quod fuit  
« sollicitus de pascendis turbis: *Oculi ejus in pau-*  
« *perem respiciunt.* Ps. x, 5. »

5. — Christi obtutus beneficium semper esse con-  
suevit; unde David Deum rogabat, Ps. xxx, 17,  
dicens: *Illustra faciem tuam super seruum tuum.*  
Ubi Angellius ita scribit: « *Quem ipse benigno*  
« *vultu respicit, miser esse non potest.* » In Levitico,  
Lev., xxvi, 9, hæc reperitur a Deo facta promissio:  
« *Respiciam vos et crescere faciam.* Et Hesy-  
« chius ait: « Nihil melius quam respici a Deo, cujus  
« respectus salus est. »

6. — Rupertus Abbas Tuitiensis, de oculorum  
Salvatoris elevatorum salutaribus influentiis, *lib. vi*  
in *Joan.*, ita scribit: « *Sublevati oculi Jesu fenestras*  
« *salutis et patentes misericordie janas sunt, per*  
« *quas gratia et veritas emittitur; sublevatio ocu-*  
« *lorum Jesu presens miserorum compassio est.* »  
Ac proinde Psalmista ad illos, qui compassionis visceribus  
carentes crudeles existunt, alludens, Ps.  
xvi, 10, dicit: *Oculos suos statuerunt declinare in*

*terram.* S. Thomas ait: « Oculos suos sublevat, id  
« est, respectum pietatis impendit, » id quod idem  
Psalmista a Deo instanter pebat, Ps. xxiv, 16,  
dum ait: *Respice in me et miserere mei.*

7. — Idem Doctor Angelicus aliam quamdam  
nobis valde salutarem considerationem adducit,  
dum ait: « Existens in montem cum discipulis, »  
oculos suos non ad sublimem, vel alium locum profanu-  
m videndum subito elevavit, ut i discamus  
« Christi maturatiorem oculos non dirigentes huc  
« alique illic, sed pudice sedentis et attente cum  
« discipulis suis. » Dionysius Carthusianus eandem  
in ipso oculorum modestiam et circumspectionem  
considerat, in *Joan.*, dum ait: « Oculus vagus non  
« fuit, summe compositus, nec sine ingenti causa  
« circumspexit. »

*Et vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum.*

8. — Toletus observat, S. Joannem multas alias  
variarum actionum Salvatoris omisise circumstan-  
tias, quæ tamen ab aliis Evangelistis exprimitur.  
Primo enim *SS. Matth.*, xiv, 14, et *Marc.*, vi, 34, eum  
a solitudine montis recessisse dicunt, ut in consec-  
tantem se multitudinem oculos suos conjiceret: « *Et  
« cœcens vidit turbam multam.* S. Marcus addit: *Et  
« misertus est super eos, et ad compassionem commo-  
« tus, quæ est secunda circumstantia. »* Secundo ad-  
« dunt, tactum esse misericordie affectu. Tertio  
« causam *Marc.*, vi, 34, assignat, quia erant velut  
« oves non habentes pastorem. Quarto dicit, *Luc.*,  
« ix, 11, ipsum eos excepisse placide et humaniter  
« obviam processisse. Quinto, *Marc.*, vi, 34, refert,  
« a corpse eos docere multa. Sexto, addit *Luc.*, ix,  
« 11, de regno Dei. Septimo, *Matth.*, xiv, 14 et  
« Lucas addunt, ægrotos et qui curatione indige-  
« bant, sanasse. Octavo, secundum *Matth.*, xiv, 15  
« et *Marc.*, vi, 38, erat hora tarda et dies incli-  
« nabat: *Accesseruntque discipuli dicentes: Dinitte  
« illos, ut euntes in vicos et villas proximas enant  
« sibi cibos.* Nono, secundum *Matth.*, xiv, 13 et  
« *Marc.*, vi, 37, responderunt: *Euntes, ememus panes  
« ducentis danariis et dobitus eis.* Decimo, quod  
« *Joan.*, vi, 5, nunc refert: *Cum sublevasset oculos  
« Jesus et vidisset maximam multitudinem, ad Phi-  
« lippum conversus, ipsum interrogat;* jam enim  
« docuerat, jam miracula ediderat, infirmos sana-  
« verat, nunc animum ad reflectionem corporalem  
« illorum applicans ait, etc. »

#### Dirigit ad Philippum.

9. — Valde credibile est, S. Philippum ab in-  
creata illa Sapientia habitum fuisse præ ceteris  
Apostolis velut consiliarium propria commoda mi-  
nime quærentem, valdeque charitativum; neque  
opinio hæc suo probabili caret argumeto, quia si  
manifestum charitatis indicium est illud, quod tra-  
dit Apostolus, dum ait, *1 Cor.*, xiii, 5: *Charitas non*

querit qua sua sunt, illud cum primis in S. Philippo egregie emicuit, quia quando magnam illam Christo supplicationem proposuit dicens: *Domine ostende nobis Patrem*, eandem non pro se tantum, sed pro omnibus exhibuit, non enim dixit: *Ostende mihi*, sed *Ostende nobis*; neque enim se ab interesse proprio moveri aut seduci permisit. Vix celestis Magistri scholæ primum pedem intulerat, cum ecce prolixis celestis illius et infiniti boni Nathanaelom participem esse voluit. Considerari quoque hoc loco potest, quod cum Philippus ex illis Bethsaida finibus oriundus fuerit, locorum illorum majorem utique cæteris omnibus notitiam, praxim et experientiam habuerit et ideo ipse specialissime præ cæteris a Christo interrogatus fuit. Et quidem iam Christus sciebat quid esset facturus, attamen docere non voluit, in rebus arduis non esse lidendum nobis ipsis, sed a viris practicis et rerum experientia præditis petenda esse consilia. Unde Albertus Magnus ait: « Quia Philippus de illis par-tibus fuit, ut dicitur, et magis de multitudine curavit. » Toletus pariter ait: « Argumento est majori sollicitudine premi circa victum magisque esse timidum. »

**10.** — Lucas Brugenis ait: « Ut qui majori studio indigerent, quod annotant Patres, forte, quia intelligitiorum rerum mundi plus esset de victu sollicitus. » Albertus Magnus citat Chrysostomum in hæc verba scribentem: « Quia hic Apostolus stultus rador fuit et magis indigenis instructione. » Aliam tamen rationem Toletus affert, dicens: « Possumus et aliam excogitare causam, nempe Philippum fuisse in hisce, quæ ad victum comparandum pertinebant, peritiorum et intelligitiorum. »

**11.** — Hugo Cardinalis discursus, quos Salvator cum Apostolis suis miscuit, per conjecturam assequi contendit; dicit enim: « Patet de quibus tractabat cum discipulis, de operibus scilicet misericordie, attendens hic, quod nunquam inaniter sedebat cum discipulis suis, sed diligenter loquens quid ad eos, et docens. »

*Unde ememus panes, ut manducet hi?*

**12.** — Ecce quam sit sollicitus, ut eis, qui ipsum sequuntur, de necessariis prospiciat. Janenius ait: « Recte intelligitur Dominus hoc miraculo significare curæ voluisse eis, qui sibi adherent etiam in deserto, hoc est, ubi nullum humanum auxilium adferit, nullum necessariorum bonorum defecturum. »

**13.** — Rupertus Abbas Tulliensis finem hujusce interrogationis sequenti similitudine explicat; dicit enim: « Quomodo benevolens cujusque artis præceptor interdum discipulum interrogat, non quod de ignorantia illius dubitet, sed ut ad interrogationem evigilet et ipse attentio efficacis demonstrat. » Lyranus ait: « Non petit ignorans, quod

defecerit eis pretium, sed ut ex responsione Philippi appareret certius miraculum. » Dionysius Carthusianus ait: « Interrogat non quasi ignorans, sed se informare intendens. »

#### Additiones.

**a.** — *Cum sublevasset oculos Jesus et vidisset quæ multitudo maxima*, etc. Cum ad Jesum confluerent turbae, non poterant egestate laborare, et quamvis aliquos traxerit propria utilitas, tamen benevolam affectu, ac amico venerant. Et licet aliqui etiam sinistra mente venerint, tamen ob societatem bonorum, coelestibus bonis fuerant recreandi. Noli ergo, o homo, sollicitus avaritia opes providendo gemere, noli laborare caduca preparando, quia prandii tui semper et ubique Deus preparator assistit: « Quis Rex devotis militibus debitam non procurat annonam? Quis Dominus fidelibus servis suis in justa cibaria non ministrat? Si ergo nobis Deus et Rex et Dominus, quid negabit? » ait S. Chrysostomus, *Hom. xlv in Matth.* « Stipendii suis militans derogat miles regi, suis sumptibus vivens dominum servus accusat, pro se sollicitus filius culpam superstitum patrem. Noli ergo homo exponere Deum pro te, taliter cogitando, qui et iustitia regnantis, et dominantis patris, et generantis affectu, in se totam tui recipi sollicitudinem, refudit et curam. » Scilicet turbae Christi sequebantur, indeque se maxime pignorum agnoscebat, ut eis in necessariis provideret. Non enim solet Christus Deus suos sequaces vacuos dimittere, sed invigilat super illos qui illum timeant, illum sequuntur et serviunt. Prima facie quidem paradoxum esse videtur quod Psalmista ait, *Psal. xxxiii, 12: Divites egerunt et esurierunt*. Quomodo enim is qui dives est egenus esse et esurire potest? Numquid pecunie obediunt omnia? sed respondetur quod saepe tempore famis et caritate annonæ contingat quod ad sui sustentationem nec pecunia juvet, nec hominis industria; tunc enim Deus solus esse provisor, tuncque *inquirentes Dominum, non mententur omni bono*, quia Deus solo flatu venti alieni ipsi integros venire facit ad sustentationem hominis coturnicum exercitus, dicente Psalmista, *Ps. lxxviii, 27: Misi sicut arenam maris volatitia pennata, pluit sicut pulverem carnes*. Apud S. Lucam, *xxii, 38*, legitur quod celestis Magister, in ultima cena, suos interrogavit Apostolos: *Quando misi vos sine sacculo et pera, et calcamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nichil*. Moxque eisdem præcepit, dicens: *Sed nunc, qui habet sacculum tollat similiter et peram*; id est, ut expositores interpretantur, « sacculum quo portatur pecunia, pera qua portantur cibaria. » Cur nunc sacculum et peram sibi procurare jubentur? S. Chrysostomus, et ejus auctoritatem adducens Hugo Cardinalis respondent: « Quando nec zonam habebant, neque aë, nullus

passi sunt penuriam, ut autem marsupium concessit eis et peram, esurire videntur et nuditatem pati; ac si eis diceret: *Hactenus cuncta vobis uber-rime affluabant, nunc autem volo vos et inopiam experiri*. » Nimirum Christus non solum suis Apostolis, sed etiam successive illis qui ad ipsorum imitationem vilam essent acturi Apostolicam, insinuare voluit, quod plene in ipsum confidendo copiosiore erga se experiri essent providentiam, quam si in propriam confiderent industriam. Unde David, *Psal. xlv, 4*, ait: *Dominus regit me et nihil mihi deerit*.

**b.** — Christus versans in vasta eremo, stipatus multa hominum turba, tam modeste agebat, ut notaverit hoc, quasi quid singulare. Evangelista quod sublevasset oculos. Quod mysterio nullatenus vacare putat Ven. Beda, sic fatus: « Dixit, cum sublevasset oculos Jesus, ut discernerem, quia oculos non erigebat hæc atque illuc, sed pudice sedebat attentus cum discipulis suis. » Itaque tam impense gerebat dimissos ad terram oculos Jesus et tam severus pudicitie cultor, hæc in re fuit, ut quia semel in eremo sublevavit oculos, curiose illud notaverit Evangelista, ut rem insolitam, quod pudicitie tribuit Beda, ac si faceret ad pudicitiam Christi tam diligens colorum demissio. Et ita est; perfectio enim in fugiendis pro viribus nostris venialibus culpis et defectibus consistit et anime timorate culpas etiam minimas fugiunt. S. Jacobus, in principio Epistolæ suæclare non docet, in quoniam perfectionis hominis christiana præcipue consistat; dicit enim: *Perfecti et integri*; quibus verbis perfectionem conjungit cum integra omnium divinorum præceptorum observantia, eaque adeo exacta et punctuali, ut in illo prorsus deficiat: *In nullo deficientes*. Undenam eminentem sanctitatem Baptiste Joannis, sua accepisse incrementa existimas? Nimirum de ipso sancta Mater Ecclesia canit: « Antra deserti teneris sub annis, Civium turmas fugiens petisti. » At vero cur se in desertum illud se recepit? Num forte ideo, ut se per sanctam contemplationem, cum Deo æreus uniret, aut vero ut factus scorpionum aliarumque ferarum sodalis, austriorem, rigidiorumque ageret penitentiam? Non dicit hoc sancta Ecclesia, sed causa hujus præcipua hæc ab eadem assignatur, ut scilicet culpas quoque veniales tanto securius fugere posset: « Ne levi saltem macule vitam, flamine posses. » P. Alvarez qui de perfectione christiana grandia, dignissimaque luce composuit volumina, inter alia ita scribit: « Spirituales viri, qui suarum animarum puritatem zelo Dei zelant, ad hanc leviorum peccatorum delationem debent se auxilio divine gratiæ movere, ut tanquam illi Dei dilectissimi, miniam Patris displicentiam, melius quam servi mali et pigri magnam delectari solent, effugerent. Nec deest illis causa satis efficax, ut hoc

detestabilis genus de levibus peccatis concepiant, ac si considerent se his culpis Patrem benignum offendere, a quo sunt ad vitam spirituales et Angelicam evocati et super alios homines qui mundanis inhaerent, terrimo amore dilecti. » Tantum Dominum ac talem Patrem offendere, ac etiam leviter, malum est in justorum oculis. » Dionysius Carthusianus, in *art. xix* oppositi de enormitate peccati, in hæc verba scribit: « Veniale perfectionis adeptionem tanto plus impedit quanto minus vigilanter vitatur ac deploratur. Ideo et multi religiosi et veram religionem parum pro-pinquant, vel nunquam attingunt, quoniam venialia cum incessabili diligentia non declinant, nec mentem suam in divine æternæque lucis presentia, semper timorate constituent, imo ac facilius ad inania resolvuntur. »

**c.** — In hæc verba: *Cum sublevasset oculos Jesus*, Rupertus, in *Joan.*, scribit: « Oculi Jesu fenestra salutis et patentes misericordie janua, per quas gratia et veritas emittitur. » Dei oculi nihil aliud effundunt quam pietatem et misericordiam. Quod expertus Petrus, qui licet de galli cantu ad trinitatem negationem esset præmonitus, non tamen venit in agnitionem peccati sui nisi postquam illum respexisset Jesus.

**d.** — Queritur, cur non ad discipulos, sed ad venientes turbas sublevavit oculos Dominus? Certe maxime ponderandum quod non sublevavit oculos, ut videret discipulos qui juxta ipsum sedebant, sed ut videret turbas quæ a longe stabant; discipulorum quippe magister erat, turbarum autem auxiliator. O quantum distant divini Christi oculi ab oculis modernorum Prælatorum. In mundo fertur solum intuitus in proximos et hoc potius ad omnium quam ad obsequium. Prælatore autem Ecclesiasticæ non ad dominium, sed ad subditorum obsequium ordinatæ sunt.

**e.** — Turbae Christi sequaces, triduane famis necessitatem non sentiunt, nec subsidium expellunt et Christus summe est sollicitus de ope abundantius largienda. O expromptam Dei beneficentiam! O velut pie superbam orationis vim! Imo necdum est oratio, et tamen consequitur impetratio, et de impetratione turbæ gloriantur. Sic verum est illud Isaie, *lxy, 23: Electi mei non laboraverunt frustra, qui semen benedictiorum Domini est et nepotes eorum cum eis, erigite antepagum clement, ego exaudiam*. Nam licet non clamarent, nec escas peterent quia has turbas ex solo Dei timore insectas asperxit, inde ad hanc inopiam et necessitatem anteverendam movetur Christus Deus. Timeat enim Deum, nec desunt bona spiritualia pariter et temporalia. Dicitur, *Psal. xxxiii, 10: Non est inopia timentibus eum*. « Hoc est, » ait S. Basilus, « nulla ad complectendam virtutem deest facultas, cum per tenorem rem ab indecora omni et absurda actione revoca-

« tur, impeditur; sed perfectus est, nullo honorum  
 « quod humane conveniat naturæ, destitutus.  
 « Salutare fuit consilium illud quod senior Tobias  
 « dedit filio suo : *Pauperem quidem vitam gerimus*  
 « *sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum et*  
 « *recesserimus ab omni peccato et fecerimus bene.* »  
 In Hebræo legitur : *Dobit tibi Deus divitias magnas,*  
 si requisieris eum in toto corde tuo et tota mente tua.  
 Non defuerunt interpretes qui hunc textum : *Non*  
*est inopia timentibus eum,* exposuerunt in ordine ad  
 provisionem honorum etiam temporalium. Cajeta-  
 nus scribit : « David affirmat quod timentibus Deum  
 « nihil deficit; quod intellige juxta promissiones in  
 « Deuteronomio factas. Totus enim iste Psalmus  
 « plenus est promissionibus temporalium bono-  
 « rum. » Dionysius Carthusianus eundem textum  
 explanans ait : « Nam in spiritualibus et corporali-  
 « bus bonis, providet eis Dominus sufficienter. »  
 Experientia autem multarum occasionum docuit  
 quod plurimi Deum timentium, honorum ad pro-  
 priam sustentationem necessariorum passi fuerint  
 defectum ac penuriam; ergo non videtur subsistere  
 sed vacillare propositio ista Psalmistæ, saltem ex  
 aliqua parte. Respondet S. Thomas : « Contingit  
 « aliquando, limentem Deum parum habere, sed  
 « non contingit cum esso inopem; inops est, qui se  
 « deficientem reputat : qui timent Deum, his con-  
 « tenti sunt, quo habent. » Verum responderi  
 potest adhuc alio modo. Quis potest esse certus aut  
 securus se reddere, quod verum habeat timorem?  
*Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus*  
*sum.*

**f.** — Ut vidit Dominus famescentes turbas, quasi  
 nequit Dominus non agere de illorum sublevatione;  
 quod exprimentes Matthæus et Marcus, dicunt stam-  
 tactam easse misericordia. Non enim patitur esse  
 egentes homines divina misericordia, atque clemen-  
 tia, adeo ut quando Israelitæ fame erant puniendi,  
 a se iudicium illud Dominus abdicat et Eliæ tradi-  
 derit, veritus quod ipse tandem parceret egentibus.  
 Ex quo clare deduci potest quantum misericordiæ  
 opera Deo grata sint et accepta.

**g.** — Dicit ad Philippum : *Unde ememus panes ut*  
*manducent hi?* Nummi deerant ad panes emendos,  
 quibus depelleretur fames; miraculoque opus fuit,  
 ut miseri haberent subsidium, quia pro illis aliendis  
 non erat aurum. Utinam, ut aliquibus deest aurum  
 ad levandam miseriam inopum, sic etiam deesset  
 ad perpetrandam culpam. Divites enim et pecuniosi  
 proclives sunt in vitia, terrenorum honorum abun-  
 dantia nidus est omnis peccati et inter divitias  
 innocentiam conservare difficillimum est. Eccle-  
 siasticus, xi, 10, ait : *Fili, ne in multis sint actus tui*  
*et si dives fueris, non eris immunis a delicto.* Inter-  
 pres Græcus hunc Ecclesiastici textum legens, non  
 dicit : *Si dives fueris, sed, si multiplicaveris.* Unde  
 S. Gregorius nos monet, dicens : Profecto qui

« augere opes ambit, vitare peccata negligit et  
 « more avium captus, cum escam terrenarum  
 « rerum avidè conspiciat, quo strangleletur peccati  
 « laqueum non agnoscit. » Sanctus ac regius Pro-  
 pheta David de hominibus, omnigena vitiorum pice  
 infectis loquens, Psal. lxxii, 6, ait : *Tenuit eos*  
*superbia, operi sunt iniquitate et impietas sua;*  
*cogitaverunt et locuti sunt nequitiam, iniquitatem in*  
*excelsis locuti sunt; posuerunt in caelum os suum.* At  
 vero undenam hæc impietas, atque ad omnia in-  
 quitatis genera dilatata et extensa malitia derivatur?  
*Prodit quasi ex adipe;* id est, ut Hugo Cardinalis  
 ait : « Ex abundantia, » *iniquitate eorum;* qui etiam  
 ex hac radice multa pessima pullulare germina  
 probat, simulque eadem enumerat qualia sunt :  
 1<sup>o</sup> Superbia; *Prov., viii, 18 : Opes superba.* 2<sup>o</sup> Obli-  
 vio Dei, juxta illud *Osee, xiii, 6 : Adimpleti sunt et*  
*saturati; levaverunt cor suum et oblitii sunt mei.*  
 3<sup>o</sup> Contemptus Dei; *Job., xv, 25 : Contra omnipotentem*  
*robortus est, pinguis cervicæ armatus est.*  
 4<sup>o</sup> Ingratitudo; *Isa., xlv, 3 : Accinxi te et non*  
*cognovisti me.* 5<sup>o</sup> Transgressio præceptorum Dei  
 juxta illud *Jerem., v, 28 : Impinguati sunt et dilata-*  
*tati, et præterierunt sermones meos pessime.* 6<sup>o</sup> Luxu-  
 ria, juxta illud *Jerem., v, 7 : Saturavi eos, et machati*  
*sunt.* 7<sup>o</sup> Petulantia, id est, in vestitu et exteriori  
 personæ apparatus, inordinata pompa. *Deut., xxxii,*  
*15 : Incrassatus est dilectus et recalcitravit.* 8<sup>o</sup> Jurgia  
 et rixe, prout patet *Gen., xiii, 7,* ex controversia  
 quam inter se pastores Loth et Abraham habebant  
 pro gregibus. 9<sup>o</sup> Oppressio pauperum, *Eccle., xii,*  
*23 : Venatio leonis onager in eremo, sic et pascua*  
*divitum sunt pauperes.* Divus Chrysostomus avari  
 hominis cor examinans, ne vel umbram aut vesti-  
 gium pietatis et timoris Dei in eo se invenire dicit :  
 utpote qui de futura vita tam parum curat, ac si  
 nulla nobis post hanc vitam sperare liceret : « Neque  
 « regni amor est illic, neque gehennæ metus; non  
 « pudor hominum, non misericordia, non condo-  
 « lentia, sed impudentia et violentia, et futurorum  
 « omnium contemptus, et fabula ipsis verba Dei  
 « videntur esse. »

**h.** — Judas denarios asportabat et tamen hæc in  
 re consiliarius non est adhibitus. Non dubitabat  
 Dominus, quin aliquando e marseppe Judæ satiani-  
 des esset totus mundus; non enim habet aliunde  
 Christi panis majus augmentum, quam a Christi  
 passione. Ille enim per passionem panem a Juda  
 emptum nos satiabit superabundanter, cum ille  
 tanto magis per redemptionem ergo nos beneficis  
 extiterit, quanto nos illum indignius tractavimus.

**i.** — Ad subveniendum penariæ ac fani universæ  
 hujus multitudinis, cum Apostoli dicerent : *Dimitte*  
*eos in proxima castella,* et Philippus objiceret mag-  
 nam difficultatem, ducentorum denariorum panes  
 hand sufficere, solus Christus de providendo pre-  
 senti necessitati querit : *Unde ememus panes?* Alta

Dei ordinatione disponitur, quod omnes Apostoli  
 difficultates objiciant, ut in presenti beneficio, ac  
 in sublevanda hujusmodi necessitate, solus Christus  
 recognoscatur auctor, ejusdemque mira patefiat  
 providentia, qua nobis providet, non solum tan-  
 quam nutrix, sed mater, utpote qui habet talem  
 uniuscujusque in singulari providentiam, qualem  
 universim habet in omnibus. Apud Isaiam, xlii, 12,  
 Deus in hæc verba prorumpit : *Namquid oblivisci*  
*potest mulier infantem suum, ut non miseretur filio*  
*uteri sui?* Quasi diceret : Nunquam fiet, ut mater  
 aliqua adeo sit crudelis ut filii sui quem in utero  
 portat, obliviscatur, vel pro eo omnem sollicitudinem  
 deponat; et tamen subdit : *Etsi illa oblitia*  
*fuerit, ego non obliviscar tui.* Adeo provida est Dei  
 erga nos beneficentia, ut quemadmodum apud  
 Lucam, xii, 7, legitur, Salvator noster dixerit :  
*Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Ac proinde  
 S. Augustinus, *Serm. vi de verb. Dom.,* ut in Dei nos  
 ulnas confidenter conjiciamus, in hæc verba exhor-  
 tatur : « Omnem curam vestram super Dominum  
 « mitte. Proprs vos ipsos totos projicite in illum.  
 « De ipsis capillis nostris securitatem nobis dedit.  
 « Amen dico vobis, inquit, et capilli capitis vestri  
 « omnes numerati sunt. Capilli nostri numerati sunt  
 « Deo, quanto magis mores nostri, cui sic noti sunt  
 « capilli nostri? Vide quia nec minima nostra  
 « contemnit Deus; nam si contemneret, non crea-  
 « ret. »

**j.** — Deus celesti panem pavit Israelitis in deserto;  
 Christus Dominus sui eterni Patris habens inge-  
 nium, ne in virtutibus inferior videretur, fames-  
 centes turbas miraculose pane in deserto alit. At  
 vero cur non Apostoli pietate commoventur super  
 hanc multitudinem, ut eis cibos quarant, sed solus  
 Christus misericordia tangitur, ut de providendis  
 cibis sollicitus sit? Optime ad questionem Thomas  
 Beauxamis : « Patrisfamilias est, non tantum filiis  
 « sed et servis providere, adeo ut quid manducatri  
 « sint sollicitus sit, cibumque exhibeat. Deus quo-  
 « que optimus maximus, cum sit omnium opifex et  
 « pater, qui dat escam omni carni, dat etiam  
 « fœnum jumentis adeo ut omnia impleantur ejus  
 « bonitate; unde jus exurgit expectandi alimenta a  
 « Deo, utpote qui a se nobis tanquam patrem nos-  
 « trum invocari voluit; et quidem qui omnia ani-  
 « malia pascit, multo magis filios suos sustentabit. »  
 Et ideo securi curam nostram in Deum jactare  
 debemus, ut ipse nos nutriat. In Christum quoque  
 omnem nostram confidentiam jactare et illi adhe-  
 rere, cum suos et sacro verbo, et Eucharistia pascat,  
 nec deserturus sit, quin indigentibus succurrat.  
 Siquidem illa fiducia que in Deum potius quam in  
 nostram industriam habetur, ab ipso Deo liberalis-  
 sime compensatur et maxime ad illos, qui hanc  
 fiduciam cum bona conscientia habent conjunctam,  
 ut ex facio hodierni Evangelii elicitur : *Dixit ad*

*Philippum : Unde ememus panes, ut manducent hi?*  
*Hoc autem dicebat tentans eum.* Quinque millia  
 hominum in solitudine Christum sequuntur, quo-  
 rum pietate commotus, statuit famelicis cibare et  
 reipsa miraculose cibavit.

## VERSUS 6.

*Hoc autem dicebat tentans eum, ipse autem sciebat*  
*quid esset factururus.*

**1.** — Quonam sensu tentatio hæc explicanda sit,  
 Dionysius Carthusianus declarat, dicens : « Tentatio  
 « piæ probationis ordinatæ ad instructionem, » ad  
 eum modum, quo sacer textus Deum Abraham  
 tentasse scribit. Toletus diffusius loquitur : « Non  
 « aliud est, inquit, quam periculum facere sive  
 « scientiæ, sive virtutis, sive alicujus alterius quod  
 « in illo latet. » Sciebat etenim Christus, quæ  
 et qualis esset hujus Apostoli dissidentia, quæ etiam  
 ex ejus responsione clare colligitur, ac proinde  
 hæc ei interrogationem proponit : « Non ut fidem  
 « ejus notam aliis faciat, sed ut et ipsum humanum  
 « remedium deesse advertere faciat et sic discat  
 « Christo se totum committere et sollicitudinem  
 « supervacaneam temporalis victus deponere. »

## VERSUS 7.

*Respondit ei Philippus : Ducentorum denariorum*  
*panes non sufficient eis, ut unusquisque modicum*  
*quid accipiat.*

**1.** — Lucas Brugensis ex quadam Arice Montani  
 annotatione super Marcum advertit, ex antiquis  
 Judæorum monumentis colligi, quod Christi tem-  
 poribus pane satianus in illis locis ad decem homi-  
 nes panes satianos suffecerit; ex quo deducitur,  
 quod cum ducentis denariis ducentis tantum homi-  
 num millibus satisfaceri poterit.

**2.** — Salmeron ait : « Id est, panis Dei satians  
 « non potest comparari illo naturæ pretio; unde  
 « Simoni Mago dixit Petrus : *Pecunia tecum sit in*  
 « *perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecu-*  
 « *nia possideri;* potest tamen emi de congruo de-  
 « nariis nostris, verum ex auxilio divinæ gratiæ. »

## VERSUS 9.

*Est puer unus hic, qui habet quinque panes hor-*  
*deaceos et duos pisces; sed hæc quid sunt inter*  
*tantos?*

*Est puer unus hic.*

**1.** — Salmeron charitatem S. Andreæ valde  
 commendat qui se ad prospiciendum turbis illis  
 valde sollicitum exhibuit : « Charitatem ostendit  
 « Andreas, quod necessarium victum paratus erat  
 « turbis communicare, nos autem ne superfluum  
 « quidem largimur. » Panes illi et pisces Salvatoris

et duodecim Apostolorum mense instruendæ destinati fuerant et tamen S. Andreas illis se privare patratum erat, ut aliorum famem sublevaret. Etenim ex lectu S. Marci satis colligitur, panes illos ad Apostolos spectasse; ideo enim Dominus illos interrogavit: *Quot panes habetis?* In S. Matthæo pariter Apostoli dicunt: *Non habemus nisi quinque panes et duos pisces.* Et apud S. Lucam similiter asserunt: *Non sunt nobis plus quam quinque panes et duo pisces.*

**2.** — Didacus Stella hanc habet considerationem: « Commendat Ecclesiam Petro, constituit eum Episcopos Apostolos sanctos et virtute præditos, « iis animas commendat et officium prædicandi, « pecuniam Judæ tradidit, alimentum corporum eum puero custodiendum datur. In hoc videbis quod « parvi pendat Deus res temporales et quanto præfio res habeat spirituales. »

*Qui habet quinque panes.*

**3.** — Chrysostomus sobrietatem et temperantiam considerat victus, quo Apostoli sustentabantur: « Illud enim hinc discimus, quanta philosophia angustaque disciplina Apostoli viverent, « omnium deliciarum luxum contemnentis; » siquidem pro duodecim viris sustentandi quinque solum panes presto erant: « Ita quæ ad corpus « pertinent, omnia superflua et contemnenda sibi « videbantur. »

**4.** — Eadem quoque considerationem habet S. Bonaventura, qui dicit: « Ex quo apparet discipulorum inopia, non solum ad recipiendum turbanam, sed etiam ad propriam famem mitigandam « et ut magna ostendatur inopia, Joannes exprimit « genus panum. »

**5.** — S. Thomas de Aquino, in *Matth.*, exinde gustum et suavitatem arguit, quam Apostoli ex verbo Christi et prædicatione ejus percipiebant: « Ex hoc videtur, quod Apostoli ita fuerint intenti « suavitati sermonis Christi, quod magis delectantur in audiendo Christum, quam in procurando sibi victum; unde parum curabant de corporis refectione. »

**6.** — S. Antonius de Padua, *Serm. in hoc Dom.*, pro hoc quinque panes in sensu morali varios intelligi virtutum actus circa bonam quandam et solidam penitentiam agendam necessarios: « Primus, dolor de amisso; secundus, pudor de commissio; tertius, horror iudicii; quartus, timor « supplicii; quintus, ardor penitentis. » Per duos vero pisces duas alias circumstantias ad eandem penitentiam requisitas intelligendas esse dicit: *Pisces duo, sunt propositum melioris vitæ et spes obtinendi veniam.*

**7.** — S. Matthæus Apostolos Christo magistro suo suasisse scribit ut dimitteret turbas, ut sibi in locis vicinis victum possent necessarium compa-

rare; ut ille respondet: *Non habent necesse ire;* ubi S. Hieronymus, in *Matth.*, ait: « Non habent necesse diversos cibos querere et emere sibi « ignotos panes, cum secum habeant celestem panem. » S. Hilarius, in *Matth.*, hanc petitionem ipsorum nequaquam miratur; siquidem: « Non « dum concessum Apostolis erat ad vitæ æternæ « cibum celestem panem perficere: ac minis « trare. »

**8.** — S. Marcus Christum interrogasse scribit: *Quot panes habetis? Ue et videte.* Toletus hujus interrogationis, perquisitionis et præcepti Apostolis dati, ut scilicet prout in S. Matthæo habetur, panem et pisces inter turbas distribuerent, causam hanc esse dicit: « Ut hac ratione cognoscentes se « nihil habere, non solum quod pro tanta multitudine, sed nec etiam quod sibi ipsis satians sufficeret, et postea experientes divinam ejus virtutem, ipsius postea fidant providentiæ et nimiam « sollicitudinem deponant. » Il quoque probat reprehensio, quam Christus discipulis facit, *Matth.*, xvi, 8, dum ait: *Quid cogitatis inter vos, modica fidei, quia panes non habetis? nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum, et quinque millium hominum, et quos copiosus sumpsistis?*

**9.** — Didacus optime considerat, potuisse quidem panem et pisces de novo creare, absque eo quod modica illa victus sui provisione et annonâ uteretur: « Sed voluit quod discipuli ejus et afferrent illos panes; vult namque nos et afferre id « quod ex nostra parte possumus, ipse vero reliquum perficiet; opera nostra ex se non sunt « digna, ut mereantur gloriam, ad per meritâ « Christi et gratia divina adjuvante et faciente « consequemur. »

**10.** — Chrysostomus patrulam hoc a Christo miraculum hisce verbis, *Hom. i. in Matth.*, admiratur: « Non est minus ex quinque panibus tot panes « produxisse et ex duobus piscibus tam magnam « multitudinem piscium, quam aut germinasse a « principio terram, aut aquas pisces produxisse, « hoc nempe signum erat, terræ ac maris ipsum « esse creatorem. » Hoc prodigium tanquam Dei potentiam excedens, inquit idem S. Doctor, estimabatur ab Israelitis, dum per tot annos in deserto errabant: « *Namquid et panem poterit dare, aut « parare mensam in solitudine?* Id ipsum tamen « opere conficit. »

*Hordeacei.*

**11.** — Jansenius admiratur non tantum pro duodecim et amplius personis modicam quantitatem, sed etiam annonæ qualitatem; non enim habebant carnem, sed pisces, panemque modicum, eumque hordeaceum: « Videri etiam posset ideo hordeaceorum panum apertam factam esse mentionem, quo revocaretur in memoriam miracu-

lum Elisei, qui viginti panibus hordeaceis pavit « centum viros. »

**12.** — « Hinc deliciis dediti intelligant, » ita monet Chrysostomus, *Hom. xii in Joan.*, « quid « magni illi viri et admirabiles comederint, quam « vilis et modica eorum mensa fuerit. » Qui idem alibi in S. Matthæo observat, S. Joannem Evangelistam non sine mysterio panes illos hordeaceos fuisse, declarare voluisse: « Non superflue, neque « otiose id enarrans, sed deliciarum luxum Apostolorum exemplo calcandum esse instruens. »

**13.** — Nonnulli sacri Expositores hoc loco sequens movent dubium, cur scilicet sapientissimus Magister sicut multiplicando vinum, perfectum et generosum vinum produxit, ita quoque idem circa panem non fecerit, curando ut panes illi non hordeacei, sed triticeo essent? Albertus Magnus, in *Joan.*, respondet: « Ad hoc dicendum, quod aliud « est hic et aliud ibi; illud enim miraculum deser- « vivit juvenilitati nubentium, et ideo conveniebat « aquam mutari in liquorem juvenilitatem facien- « tem; istud autem deservivit necessitati communis « turbæ, et ideo a forma necessitati deservienti « illum panem non mutavit, maxime, ut dicit Chry- « sostomus, ne gula videretur deservire. » Salmeron vero aliam magis litteralem rationem adducit, dicens: « Quia multiplicavit quod invenit, invenit « autem panes hordeaceos et non frumenti. » Lucas Brugensis ad nostram instructionem hoc inde documentum deducit: « Qui sibi Christum cupiunt « esse nutritum, discant non appetere exquisitas « lantias, sed pane hordeaceo contenti esse. » Id quod quotidie tot bonis religiosis evenit, qui Dei servitio dedicati, in summa austeritate et sobrietate quovis pane contenti vivunt.

**14.** — Quod vero mysterium attinet, hoc a Ven. Beda fuse hisce verbis exponitur: « Panes, « qui legem designant, hordeacei fuisse referuntur, « tur, qui jumentorum maxime, rusticorumque est « cibus, quia impipientibus, necdumque perfectis « auditoribus asperiora, et quasi grossiora sunt « committenda præcepta; animalis enim homo « non percipit ea que sunt Spiritus Dei, atque « ideo Dominus pro suis cuicque viribus dona dis- « tribuens, semperque ad perfectiora provocans, « primo quinque panibus quinque millia, secundo « septem panibus quatuor millia hominum reficit; « tertio discipulis sue carnis et sanguinis myste- « rium credit; ad ultimum magno munere dat « electis, ut edant et bibant super mensam suam « in regno. »

*Et duos pisces.*

**15.** — Non sufficiebat Christo miraculum edidisse in pane, quin etiam in pisce idem operari voluit: « Ut ostenderet se Dominum, » inquit S. Thomas, « et in terra et in mari; » ille qui,

*Genes.*, i, 41 et 20, dixit: « *Germinet terra herbas « virentem, et qui dixit: Producant aquæ reptile, « etc.* »

**16.** — Albertus Magnus de pisce ita scribit: « Præbet frigidum dulcoramentum, et non fovet « libidinem. »

**17.** — Hugo Cardinalis in sensu morali ita scribit: « Duo pisces, cognitio illuminans intellectum, « et dilectio inflammans affectum; cognitio enim « præsentia vana esse conspicimus; per præterita « quasi pro quadam præsentia de futuris conjici- « mus. »

*Sed hæc quid sunt inter tantos.*

**18.** — Siquidem, ut S. Bonaventura, in *Joan.*, advertit, uno pane mille homines pascenti erant: « Unde viros nominat et numerat; unde apparet, « quanta erat reliquorum turba, præ sui multitudine non numerata. Unde Matthæus dicit, quod « manducantium fuit numerus quinque millia vi- « rorum, exceptis mulieribus et parvulis. »

**19.** — Theophylactus super Matthæum ita scribit: « Discamus hoc loco, quod etiam pauca, que « habemus, in hospitalitatem insumere debemus: « Apostoli pauca habentes dederunt, et pauca hæc « multiplicavit. »

**Additiones.**

**a.** — *Est puer unus hæc qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces.* D. Antonius Ulyssiponensis, *Serm. in IV Dom. Quadr.*, per hos panes conditiones veræ penitentis intelligit, dicens: « Quinque panes sunt dolor de omissione, secundus pudor de commissio, tertius horror iudicii, quartus timor supplicii, quintus ardor penitentis. Pisces duo sunt propositum melioris vitæ et spes obtinendi veniam. »

**b.** — Quinque panes hordeacei et duos pisces, non plures, nec pauciores eliguntur in materia hujus miraculi. Christus supremus rex, Apostoli principes orbis constituti erant, et tamen pro eorum victu non aliqui panis triticeus, suavis et dulcis, sed hordeaceus proponitur; erant enim turbæ famescientes in deserto. Discant hinc principes, discant prælati, cum subditi penuria laborant, ipsi multarum epularum copie, ac suavitati non indulgeant, sed tantum necessariis contenti sint. Damna enim gravia ex crapula gubernantium et rectorum in republicam resultant. Sapiens Salomon, supernaturali sapientiæ politicæ ad bonum populorum gubernium, præ omnibus aliis regibus dotatus privilegio, hoc magni momenti omnibus civitatibus, provinciis et regnis dat monitum, *Ecclesi.*, x, 16: *Vae tibi terræ, cujus principes non comedunt; beata terra, cujus principes vescuntur in tempore suo.* Afflictiones, calamitates, ruinasque publicas, omnibus statibus illis imminere prædicit, quibus principes